

enberg
ss.
d. 6
1791

L 6.72

AD
SOLENNIA
DIE FESTO MICHAELIS
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
A. C. CICCIOL XXXIIII
CONCELEBRANDA
NOMINE PVBLICO
INVITAT
ORDINIS THEOLOGORVM SENIOR
ET
DECANVS
D. CAROLVS CHRISTIANVS
TITTMANN.

DE NOTIONE IVSTIFICATIONIS.

DE

NOTIONE IVSTIFICATIONIS.

Vt omnes fere artes ac disciplinae, ingeniorum elegantium cura et diligentia, paulatim incrementa maiora, maioremque elaborationem, subtilitatem atque adeo etiam ornatum accepere; ita etiam Theologiae scientia, eiusque potissimum pars ea, quae de capitibus fidei exponit, in huius felicitatis societatem venit inde ab eo tempore, ex quo historiae, critics, grammaticesque studium diligentius coli tractarique coepit. Cuius rei causa nescimus an praeципua fuerit nouandi temeraria libido, quae antiqua, quamvis recta sint, contemnit, et nouis, etiam nullam aliam nisi nouitatis commendationem habeant, celerrime adhaerescit, et non potius rei ipsius natura et necessitas. Nam postquam Theologia duci coepit ex ipsis fontibus, hoc est, libris primum diuinis, a quibus omnis vera et certa rerum diuinarum scientia ducitur, deinde vero etiam humanis, conciliorum et symbolorum publicis, et ecclesiae doctorum priuatis, per instrumenta literarum hebraicarum, graecarum latinarumque, itemque historiae, sine qua nec opiniones doctorum ecclesiae, nec libri virorum diuinorum ipse saepe intelligi explicarique possunt; facile intellectum est ab eruditissimo quoque, multa esse, partim in rebus verbisque explicandis, partim in argumentis diligendis, quae quidem tradita sint recte, id est, veritatem-

A 2

tique



ti^{que} diuinorum virorum conuenienter, neque tamen etiam bene, hoc est, nec perspicue, nec subtiliter, quaeque adeo et possint salua veritate, et debeant explicari demonstrarique euidentius et accuratius. Et quod ad vocabula quidem attinet, intelligere potest quisque doctus atque intelligens, et animaduerterunt notaruntque diligenter Theologi quidam erudit*i*, multis vocabulis, quibus in explicandis dogmatis v*s*i sunt Theologi, subiectas esse significaciones parum accuratas, plerisque desumptis ex versionibus latinis librorum et sacrorum et ecclesiasticorum, quae sunt parum certae, saepissime etiam valde vitiosae, et explicatis ex consuetudine linguae latinae, interdum etiam germanicae, contra vsum loquendi graecum aut hebraicum. Alio tempore hoc ostendimus explicandis vocabulis vocationis, illuminationis, conuersionis, itemque poenitentiae, regenerationis et sanctificationis, ac nuperime formula inhabitacionis spiritus sancti; quibus nunc vocabulum iustificationis et cognata adiiciemus, sic, vt praecipue eius veram vim et rationem demonstremus legitima interpretatione et adhibita ipsorum virorum diuinorum auctoritate, deinde vero hanc demonstrationem conferamus ad vsum disciplinae theologicae.

Ac primum quidem in promtu est, vocabula graeca, quibus latinum iustificationis exprimitur, pettita esse atque adeo explicanda ex linguae hebraicae consuetudine, quae igitur ante omnia est consulenda, vt dudum praeceperunt quidem Theologi, sed eius veram rationem non videntur assicuti esse, in primis quoniam e foro explicitant, quae ex vulgari consuetudine loquendi ducta sunt atque adeo etiam intelligenda. Nam vocabulorum hebraicorum notio primaria est haec, vt indicent complexum perfectionis omnis, in primis moralis. Hinc quando Deo נְקָדָשׁ tribuitur, intelligenda est vniuersa eius maiestas et gloria; quod vel inde patet, quoniam ei synonymum positum

tum reperitur **כָּבֹד**, veluti Ps. XCIVII, 6. Vnde quando et homines vocantur **קִידָּשָׁם**, intelliguntur pii, probi, virtutibus omnibus ornati. Sed de hoc significatu h. l. non quaeritur. Est vero etiam alius, non minus notus, sed non semper satis obseruatus et usurpatus, quamuis fere dominans in libris sacris V. T. et in hac nostra causa primarius, nimurum hic, quo vocabula ista speciatim exprimit benitatem et favorem, atque adeo salutem felicitatemque ipsam, dicunturque de eo, qui est propitius aliis et aduersus eos benignus, ac pro benignitate sua alios probat, beneficiisque ornat et beat. Exempla cum sint in promptu, paucis defungi poterimus. Nam Deus **קַדְשָׁךְ** est: benignus ac propitius, veluti Ps. CXVI, 5. cui ibi synonyma posita esse periuntur vocabula **חֶנְנוּן** et **מְרֻחָם**, itemque Ps. CXII, 4. Hinc **קַדְשָׁךְ** est vel **benignitas Dei**, ut Ps. CXLV, 7. vbi iunctum est vocabulo aequipollenti **טוֹב**, Ps. XL, 10. coll. v. 11. et **בָּרוּךְ**, pro benignitate, **benigne**, Ies. XLII, 6. Hof. II, 18. 21. vel **effictus** **benignitatis diuinae**, h. c. **beneficia diuina**, **salus**, **felicitas**; nam explicatur interdum per vocabula idem declarantia **שְׁלָום**, **בָּרְכָה**, **עֲשֵׂה** itemque **יְשֻׁעָה**. Ps. XXIV, 5. LXXXV, 11. Ies. XLV, 13. XLVIII, 18. LI, 5. LXII, 1. In loco 1 Sam. XII, 7. **אַדְקָותָה** LVATHERVS et ipse reddidit: **beneficia Dei**; similiterque Prou. XXI, 21. vbi bis iuncta reperiuntur vocabula **אַדְקָה** et **הַסְדָּה** et a LVATHERO explicata sunt: **misericordia** et **bonitas**; qua ratione reddendum quoque erat Ps. CXII, 9. et 2 Cor. IX, 9. Quare in locis satis notis Ier. XXIII, 6. et XXXIII, 16. **וְהַנּוּ אַדְקָנוּ** est: **Iona**, **salus nostra**, **auctor salutis nostrarae**. Verbum autem ipsum denotat: **benignitatem demonstrare**, **benefacere**, **probare**, **laudare**, **salutis participem reddere**, **beare**; veluti Ex. XXIII, 7. vbi Deus dicitur iniustum non **inficiare**, i. e. non **probare**; et Ies. XLV, 25. per **Deum inficiabuntur omnes Israelite**, i. e. **beati redentur**, **salutis felicitatisque compotes**. Homines et ipsi dicuntur **inficiare** **alios**, **hoc est**, **probare**, **ad felicitatem ducere**; v. c. Prou.



XVII, 15. *iustificare impium*, id est, *probare*; Dan. XII, 3. *qui multos iustificarunt*, hoc est: *bratos reddiderunt*. Priorem locum in primis vrgent, qui rem e foro humano aestimant; sed bene explicari potest sic, vt diximus; et iam innuimus supra, haec vocabula non e foro petita et explicanda esse, sed ex dicendi consuetudine vulgari. In primis autem notabile est, quod Ies. LIII, 11. Dominus noster dicitur *iustificare multos*, et quidem בָּרוּךְ, *doctrina sua*; vbi euidenter patet significatum, qui vulgo isti verbo tribuitur, locum habere nullo modo posse; nam *iustificatio*, sensu dogmatico, non sit per, seu propter doctrinam Christi; igitur nihil aliud indicatur, nisi hoc: *per doctrinam suam multos adducet ad eam felicitatem, quam sua morte, (de qua ibi sermo est,) acquisuit*. Nec praetermittenda est formula: *שָׁבֵךְ, seu: אֶזְרָךְ, לְצַדְקָה*, eique opposita: *שָׁבֵעַ*. Atque illam quidem reddendam putauerimus: *laudi ducere felicitatiq[ue]*; hanc vero: *vitio vertere et in locum poenae accipere*. Ps. CVI, 31. *Pinehaso imputatum est ad iustitiam aeternam*, id est: *perpetuae laudi ducebatur, praemium ei eiusque posteris tribuebatur*; quod praemium Num. XXIV, 12. vocatur *foedus pacis*, h. e. *promissio felicitatis*, quae erat in conferendo sacerdotio Pinehaso eiusque posteris. Ps. XXXII, 2. Igitur in his omnibus obtinet et veluti principatum tenet notio *beandi, benignitatis et omnis generis felicitatis*.

Iam eadem notio tribuenda quoque est verbis graecis N. T. quae hebraicis respondent. Primum enim atque in vniuersum ista vocabula adhibentur ad exprimendam cuiuscunq[ue] generis benignitatem et salutem; sic, vt δικαος sit: *benignus, δικαιοι, benigni, liberales*, Matth. XXV, 37. 46. δικαιοσύνη, *benignitas, liberalitas*, Matth. VI, 1. 2 Cor. IX, 9. δικαιοῦν autem: *probare, laudare, beare*; et δικαιοῦθαι, *probari, laudari, placere, beari*. Lucas v. c. Eu. VII, 29. *populus, ait, et portitores ἐδικαιώσαν τὸν Θεόν*, hoc est, *laudabant Deum, suscipiendo baptismate Ioanneo.*

neo. Hic igitur δικαιοῦν idem est, quod: ὁμολογεῖν, δοξολογεῖν,
 δέξαν δεῦναι, quod vel ex opposito patet: αἱτεῖν τὴν βουλὴν τὸν
 Θεόν, spernere benignitatem diuinam, repudiare beneficia Dei, recu-
 fando baptismate. Et in eodem Cap. vers. 35. quando Domini-
 nus: ἐδικάσθη ἡ σοφία, inquit, ἀπὸ τῶν τέκνων ἀντῆς πάντων, sen-
 sus est hic: sapientia probatur discipulis suis, a cultoribus suis col-
 laudatur. Cap. X. 29. dicitur aliquis voluisse δικαιοῦν ἑαυτὸν, hoc
 est, seū laudare et commendare, sibi vehementer placuisse. In eodem
 Eu. Cap. XVI. 15. Dominus noster legitur in oratione ad
 phariseos usus esse his verbis: ὥμας ἔσει οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώ-
 πιον τῶν ἀνθρώπων, vos laudem hominum captatis, siue, vos laudamini
 ab hominibus, magni beatique videmini iis, qui hominem aesti-
 mant specie externa, opulentia, vestitu et id genus aliis rebus;
 sed Deus aliter iudicat; quippe ut quis est honoratissimus apud
 homines, ita apud Deum saepe est contemtissimus. Denique
 Cap. XVIII. 14. exemplo notissimo pharisaei et portitoris sub-
 iecit haec: non ille, sed hic probabatur Deo, non illius confiden-
 tia superba, sed huius fiducia modesta Deo placuit. Neque
 aliter formula δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων intelligenda est in ver-
 bis Pauli 1 Cor. IV. 4. vbi: ὄντες γὰρ, inquit, ἐμαυτῷ σύνοιδας
 ἄλλοι ὅντες δεδικάσμοις ὁ δὲ διανοήν με, κύριός
 ἐστιν. Neque enim τὸ δεδικάσμον referendum est ad Deum, sed ad homines;
 explicaturque ab Apostolo in proxime sequentibus per ver-
 bum ἀναγένεται, quod h. l. denotat: iudicare in partem bonam,
 h. e. laudare; et potuisset quoque scribi sic: ὁ δὲ δικαιοῦν με, κύριός
 ἐστιν. Totus autem locus vertendus intelligendusque est sic:
recti mihi ego conscient, hominibus improbatus, non improbor Deo.
 Atque Dominus noster et ipse 1 Tim. III. 16. dicitur *iustificatus esse*, hoc est, *approbatus, commendatus, laudatus*. Neque aliam
 vim ei verbo tribuerim, tribuendamque putauerim in loco
 Iac. Cap. II. vbi, ut alio loco diximus, Apostolus est in eo,
 ut doceat, non solam scientiam et professionem religionis,

(περὶ)



(πείσιν) Deo placere, sed eiusdem exercitium, sensus et facta, religioni consentanea, (έργα) eiusque rei demonstrandae causa vesus est exemplo Abrahami. *Abrahamus*, inquit vers. 21. sqq. nonne ἐδικαιώθη, laudatur (scilicet, in scripturis, e quibus adeo elogium ipsum commemoratur versiculo 23.) propter facta, cum nempē immolare vellet *Isaacum*? — Sic enim habent scripturae: *Abrahamus fidem habuit Deo: quod ei laudi duciebatur, sic, ut Deo carissimus diceretur.* Hinc patet, factis probari aliquem, non merita religionis professione. Formulam autem: λογιζόμενοι εἰς δικαιούντη, (hebraicam supra commemorauimus,) qua et Paulus vesus est in ipso exemplo Abrahami commendando, reddi posse atque adeo debere: laudi ducere, euidenter patet ex loco i Macc. II, 52. vbi itidem adhibetur de Abrahamo, sed in proxime antecedente versiculo explicatur per formulam aequipollentem: δέχεσθαι δόξαν μεγάλην της ἔνομα αἰώνιον. In sequentibus adiecit Apostolus exemplum Rachabae, quod extra dubitationem ponit significatum verbi, de quo quaerimus. Nam quando dicit: ἐπάθη πάρεγν οὐέγων ἐδικαιώθη. ea facile quisque videt intelligi non posse de iustificatione, quae dicitur in libellis dogmaticis; quomodo enim? sed explicanda esse sic: *Rachaba laudatur, nimirum in scripturis apud Iosuam Cap. II. et VI. propter praecclare factum, cum scilicet exploratores fusciperet et per aliam viam dimitteret.* Et quoniam exemplum commemorauimus ex scriptoribus apocryphis, nonnulla alia ex iisdem adiiciemus, vt intelligatur, significatum laudandi et probandi, quem tribuimus verbo δικαιοῦν, non esse fictitium aut inusitatum. Nam sic non uno loco reperitur apud Sirac. v. c. Cap. X, 29. vbi quod in priori membro est δικαιοῦν, in altero dicitur δοξάζειν sunt igitur haec duo vocabula idem significantia. Cap. XIII, 22. verbo δικαιοῦν oppositum est verbum προσεπιτιμᾶν hoc denotat reprehendere; ergo illud: laudare. Cap. XVIII, 2. νέος μένος δικαιοθίσεται, *Dominus solus laude dignus est;* sequuntur enim haec: εὐδεντές

έξεποιη-

Ἐποίσεν ἔχαγγέλου τὰ ἔργα αὐτοῦ, οὐδὲ τὰς ἔξιχνάσεις τὰ μεγαλεῖαι
αὐτοῦ, reliqua. Haec igitur est notio illorum vocabulorum
generalis.

Deinde vero atque in specie dicuntur de benignitate diuinæ
in hominibus per Christum beandis et impertienda salute, ab eo parta,
deque hac salute et beatitudine ipsa. Atque in hac re ista vocabula
Paulo Apostolo sunt solennia et veluti classica. Igitur δικαιοῦν
est: fauere, probare, beare, salutem impertire, siue vocabulo Li-
uiano et ad hanc rem valde commodo: fospitare, germanice:
wohlwollen, begnadigen, beglücken. Veluti Rom. III, 30. ἐξ ὁ
Θεὸς, ὃς δικαιώτει κ. λ. habemus omnes unum eundemque Deum, qui
fauet et credentibus e Iudeis, et vero etiam credentibus e Gentilibus,
omnes aequam et beatam est enim ibi Apostolus in eo, ut ostendat
vniuersalitatem gratiae diuinæ. Gal. III, 8. ἐξ πίστεως δικαιοῦ
τὰ ἔθνη ὁ Θεὸς, Deus propitiatus est gentilibus, beat gentiles propter fidem.
Rom. VIII, 30. Quos denum vult, ad suos cultores adducit,
eosque amat, ἐδικαιώτε, tandemque felicitate aeterna donat. Et vers.
33. Ecquis condemnat cultores Dei, quibus Deus propitiatus est? Hinc
δικαιοῦθαι est: probari, amari, gratiam nancisci, salutem consequi,
seruari, beari; veluti Rom. II, 13. in primisque Cap. III, 20. ne-
mo probatur Deo propter opera, a lege rituali praecepta. Vers. 24.
Probantur Deo, salutem obtinent, nullo merito suo, ex mera gratia,
propter redemitouem, a Iesu seruatore praefitam. Vers. 28. Statui-
mus enim, quemque, siue Iudeus sit, siue gentilis, probari beari-
que per fidem absque operibus legis ritualis. Ac plane eodem mo-
do Gal. II, 16. 17. III, 24. V, 4. 1 Cor. VI, 11. sanctificati beati-
que facti estis. Act. XIII, 39. Quare δικαιούμενοι et δικαιοθέντες
sunt: Deo probati, cari, beati. Rom. V, 1. 9. itemque δικαιοι,
Cap. II, 13. V, 19. vbi opponuntur τοῖς ἀμαρτωλοῖς, qui non
sunt peccatores simpliciter, sed: peccatores, poenis obnoxii et infeli-
ces, quod patet ex v. 18. et 12. Deus autem δικαιος est: beni-
gnus, propitiatus; Cap. III, 26. 1 Io. I, 9. et δικαιοσύνη Θεοῦ est: be-
nignitas



nigritas diuina in hominibus beandis per Christum; seu: ratio benigna,
qua Deus vult saluos reddere homines; Rom. I, 17. III, 21. 22. vbi
manifeste denotat benivolentiam diuinam, in V. T. promissam et
per filium suum exhibitam. Vers. 26. πρέστε ἐνδεξίν τῆς δικαιοσύνης
αὐτοῦ. Cap. IV, 11. σφραγίς τῆς δικαιοσύνης, quod Gen. XVII,
11. vocatur בְּרִית־בְּנֵי־בָּנֶיךְ, pignus meae erga vos benivo-
lentiae et favoris. Cap. V, 17. vbi est synonymous τῆς χάρτος.
Et sic sexcentis aliis in locis. De hominibus autem quando
dicitur, exprimit effectum illius benignitatis, hoc est, salutem ipsam
omnemque felicitatem, in regno Messiae benigne promissam. Sic pos-
set accipi Cap. IX, 30. 31. X, 3. sqq. debet vero Gal. III, 21.
quoniam ibi adiunctum habet verbum ζωοποίην, felicitatem affer-
re, beatum reddere. Cap. V, 5. ἐλπίς δικαιοσύνης, spes salutis. Phil.
III, 9. 2 Cor. V, 21. ut a Deo salui redderemur per Christum.
Idem denotat vocabulum δικαιώσις, nimirum felicitatem, veluti
Rom. IV, 25. resuscitatus est ad nostram salutem, siue, ut salutem,
morte sua acquisitam, nobis conferret. et quidem non modo
per resurrectionem, verum per totam exaltationem. Simili-
terque dicitur Cap. V, 18. quoniam ibi opponitur τῷ πατάγη-
μα. Hoc denotat perniciem; ergo illud: salutem.

Verum ut ea res, quamvis satis perspicua, intelligatur
evidenter, inspicienda sunt, quod est alterum, loca ipsa,
quae in hoc capite doctrinae explicando putantur esse classica,
nempe in Epist. ad Rom. Cap. II. in primisque Cap. III. IV. V.
et ad Gal. Cap. II. et III. Scilicet quod res et contextus et to-
tius orationis consilium evidentissime docet, in his locis ser-
mo est non de iustificatione, quae dicitur in scholis et quae
est singulorum hominum, sed quae est integralrum gentium
ac populorum, nimirum de gratia ac benignitate diuina in ad-
ducendis Gentilibus aequae ac Iudeis ad salutem, in regno
Messiae exspectandam; nec tantum de sola remissione pecca-
torum propter Christum collata, quae in dogmaticis dici solet
iusti-

justificatio, sed de liberatione a pernicie vniuersa et impertitione felicitatis omnis generis; nec porro de fide, quae in specie sic dicitur, sed de sensu animi eo, qui omnem salutem et felicitatem vnicce refert ad benignitatem diuinam, nec in ornamentiis externis, nec maiorum aut gentis merito vlo, nec operum ritualium studio, sed in mera gratia et beniuolentia diuina acquiescit; nec denique de lege morali, sensibusque et factis, ei consentaneis, sed de operibus legis ritualis. Nam, quod consensu doctissimi cuiusque interpretis sumere possumus, consilium Apostoli primarium in vtraque Epistola fuit hoc, vt impugnaret refutaretque opinionem, tum inter Iudeos atque etiam Iudeo Christianos dominantem de praestantia et necessitate legis ritualis ad obtinendam gratiam diuinam et salutem aeternam. Constat enim ex multis scripturarum locis, quam pertinaciter legi Mosaicae adhaeserint non modo Iudei, verum etiam Christiani e Iudeis, atque adeo etiam et ipsi Apostoli quidam, quantumque vim auctoritatempque ei tribuerint, sic, vt eius obseruationem omnino necessariam putarent esse ad tenendam gratiam diuinam et salutem, poenasque et comminationes, in illa lege propositas, propter eius neglectum vehementer extimescerent, atque ab ea sola spem fauoris diuini et salutis omnis repeterent, fiduciam vero, in Seruatore collocandam, vel penitus abiicerent vel saltem imminuerent, omnes denique, qui legem Mosaicam non obseruarent, gratia diuina et salute, in regno Messiae exspectanda, exclusos esse dicenter, ac propterea, legem ceremonialem, in primisque circumcisionem etiam in religione christiana retinendam, eiusque obseruationem a Christianis omnibus, e Gentilibus quoque, exigendam esse, statuerent. In quo quidem legis Mosaicae defendenda ac commendanda studio eo progrediebantur, vt Paulum Apostolum ipsum, vt in primis ex ep. ad Gal. patet et Actorum Apost. multis locis, suspectum reddere

B 2

et



et tanquam a Moysi defecisset, accusare, munerisque eius auctoritatem diuinam infringere variis modis anniterentur. Atque inter doctores quoque christianos fuerunt, qui ita existimarent, quorumque sermones eam vim haberent in animis Christianorum, ut nonnulli non dubitarent, circumcisionem suscipere et alios ritus obseruare. Contra hanc igitur Iudaicarum opinionum peruersitatem disputauit Apostolus in vtraque hac epistola, multisque aliarum epistolarum locis, ostenditque, neminem rituum externorum studio gratiam obtinere posse, nec vñquam obtinuisse, salutemque omnem tribui a Deo et tributam esse omni tempore non propterea, quoniam aliquis Iudeus esset, aut circumcisus, aut legis Mosaicae studiosus, sed propter solam et mere gratuitam benignitatem, omnibus non modo Iudeis, verum etiam Gentilibus, qui fidem in Messiam profiterentur, ac fiduciam spemque salutis omnem in benignitate diuina collocarent; quod evidentissime illustravit exemplo Abrahami, ex quo pateret, Deum in tribuendo fauore suo nunquam respexisse legum ritualium obseruationem, sed mentis animique conditionem internam, quippe Abramum carissimum Deo fuisse probatissimumque ante circumcisionem legumque Mosaicarum promulgationem. Atque in epistola ad Galatas addidit etiam explicationem valde notabilem, quoniam consilio data fuerit lex Mosaica Israelitis, scilicet non eo, vt per eius obseruationem fauorem diuinum sibi conciliarent, sed longe alio, nimirum ad coercendam ferociam populi, Cap. III. 19. sqq. eamque fuisse instar castigatoris usque ad Christum, per quem penitus abrogata sit, nec minas et poenas amplius extimescendas esse; vers. 13. et Cap. IV, 1. sqq. et multis aliis locis, etiam ad Hebraeos Epistolas, in qua itidem insigniter explicauit veram rationem legis Mosaicae, et, praeter reliqua, dicit Cap. IX, 9. eam non potuisse cultores suos τελεῖσθαι, perfectiores beatioresque reddere. Hoc igitur Apostoli

stoli consilium prae reliquis omnibus tenendum est in legendis explicandisque his locis; ex quo facile quisque intelliget, ista omnia proprie pertinere ad Iudeos, Iudaicarumque opinio-
num temeritatem prauitatemque, non vero ad omnes omnis temporis et generis homines, et quae disputauit de lege, de operibus legis, de fide, de iustificatione absque operibus legis, isti consilio mentique Apostoli conuenienter explicanda esse, atque adeo notiones dogmaticas in vocabulis istis locum habere nullo modo posse.

Denique aliorum locorum formularumque similium comparatio rem extra controuersiam ponit. Nam in loco Eph. II, 1 — 10. idem argumentum eodemque modo tractauit Apostolus, modo aliis verbis. Loquitur enim primum vers. 1. de Iudeorum Gentiliumque illorum temporum improbitate et miseria, plane ut in Ep. ad Rom. Cap. I. et II. deinde vero de admirabili benignitate diuina in iis eripiendis et ad salutem Messiae adducendis, eiusque causis et modis; siue, quod idem est, loquitur Apostolus de *iustificatione Ephesiorum Christianorum*. Enimvero liberationem illam salutemque, ad quam erant adducti, intellexit intelligique voluit non tantum de condonatis poenis peccatorum et gratia diuina, quanquam nec haec excludenda sunt, sed in primis tamen de liberatione ab infirmitate, incredulitate, vitiis omnisque generis miseriis, et contraria ex parte de adductione ad religionem christianam, fidem, ipsamque sanctitatem christianam, animique et vitae tranquillitatem, atque adeo etiam, quod est notabile, de coniunctione Iudeorum Gentiliumque ad unitatem ecclesiae; vers. 5. 6. 8. 10. 12. sqq. Porro qui in Ep. ad Rom. vocatur Θεός δίκαιος, in Ep. ad Ephes. appellatur Θεός πλούσιος ὁν ἐλέει, Deus longe benignissimus. Quae ibi dicitur δικαιοσύνη Θεοῦ, ea hic est modo ἀγαπη, modo χάρις, modo πλούτος της χάριτος, modo de-
nique χρηστης ἐφ' ἡμᾶς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Quod ibi dixit δικαιοῦ,

B 3

id



id hic expressit primum vocabulis tropicis, ἔωσις et ἐγένετο, deinde proprio τῷ εἰδήν τοῦ ναμ haec tria vocabula idem declarant, nimirum partim liberationem a malis, partim largitionem felicitatis, et denotant: seruare, beare. Qui porro ibi sunt δικαιούμενοι δωρεάν τῇ αὐτοῦ χάριτο διὰ τῆς απολυτώσεως κ. λ. iidem hic sunt σεωμένοι τῇ χάριτο διὰ τῆς πίστεως. Ad extremum quod ibi dixit, πίστει δικαιούμενοι χωρὶς ἔργων νόμου, id h. l. explicavit sic: σύζεσθαι διὰ τῆς πίστεως, οὐκ ἐξ ἡμῶν κ. τ. λ. Ergo ista omnia sibi aequipollent. Alius idemque simillimus locus est Tit. III, 14. sqq. vbi sermo est de eadem re, usurpanturque vocabula: χειρότης, φιλανθρωπία et ἔλεος, itemque verbum τῷ εἰδήν, idque itidem, quod contextus euidenter docet, explicandum est de liberatione e viitiis et miseriis et impertitione felicitatis; ac deinde sequitur verbum δικαιούμενος, idque de felicitate, eaque alterius vitae est intelligentium; iunguntur enim tanquam formulae idem declarantes: δικαιοθέντες τῇ ἐνείκου χάριτο, et: κληρονόμοι γενέσθαι οὐτοὶ ἐλπίδα ζωῆς αιωνίου. Igitur verbum δικαιοῦ dicitur quoque de adductione ad felicitatem aeternam, et iustificatio ibi est: adductio ad beatitudinem futuram. Nec praetermittendus est locus Gal. III, 8. vbi docere voluit Apostolus, Deum iam dudum promisisse, fore, ut aliquando etiam Gentiles adducat ad felicitatem, non per legem ritualem, sed per fidem; verba sunt haec: ὅτι ἐν πίστει δικαιοῖ τὸ ἄθυνθος Θεός: idque docuit vaticinio eo, quod Abraham factum est: ὅτι ἐν λογιθήσονται ἐν σοι πάντα τὰ ἄθυντα. Iam quod ante dixerat δικαιοῦ, id in loco V. T. est ἐνλόγειν. Enim uero hoc denotat: benefacere, beare, felicem reddere, quando Deo tribuitur, ut est in promptu; et sensus loci est hic: tecum felices erunt Gentiles. Ergo eadem notio illi est tribuenda. Deinde vers. 11. vbi docere voluit, neminem gratiam diuinam felicitatem obseruanda lege rituali obtinere posse, usus est loco hoc: δικαιος ἐν πίστει ζήσεται, i. e. beatus erit, felicitate potietur. Ergo δικαιούμενος πίστει est: ζὴν ἐν πίστεως. Atque in ipsa ad Rom.

Ep.

Ep. vocabulum δικαιοσύνης explicavit Apostolus modo per τλοῦ-
τον τῆς χρησότητος, Cap. II, 4. modo per σωτηρίαν, Cap. I, 16.
verbumque ipsum δικαιοδοξία interpretatus est Cap. IV, 1. per ver-
bum ἐνεργέντος, subintellecto vocabulo: χάρη, quae est satis
nota formula hebraica, denotans: gratiam obtinuisse, in gratia
alicuius esse. Denique Hebr. XI, 6. est eadem sententia, quam
faepe inculcauit Apostolus in Ep. ad Rom. vsus verbo δικαιοδοξία,
nimirum haec: sine fide probari bearique posse neminem. Sed
ibi est verbum ἐνεργεσθῶτος, quo et ipso illud perspicue explicatur.
Volunt quidam hoc referri quoque formulas: χαριζεσθαί τὰ πα-
ρεπτώματα, αἱρέειν τὰς ἀμαρτίας et id genus alias. Verum non
sunt synonyma; exprimunt enim non nisi partem iustificatio-
nis, quae est in condonandis poenis peccatorum; nisi velis di-
cere, illas formulas accipiendas esse sensu latissimo, iisque in-
dicari liberationem a quocunque malo, felicitatisque vniuersae
collationem; quo modo accipiendae sunt eiusmodi formulae
non raro. Denique nec vocabula opposita praetermitti de-
bent, cuiusmodi sunt haec: δικαιοσύνη Θεοῦ et ἔργη Θεοῦ. Rom.
I, 17. 18. hoc denotat iustitiam diuinam in puniendis improbis homi-
nibus et poenam ipsam; ergo illud benignitatem in beatis hominibus
et ipsam beatitudinem; porro Cap. V, 18. κατάκτημα et δικαιώμα, per-
niciens et felicitas; et vers. 19. αἱρετῶσι et δίκαιοι illi sunt, qui
Hebraeis dicuntur Ιησοῦς, h. e. poenis digni et obnoxii, ut iam
monuimus supra; ergo hi: beati, felicitatis participes. Aut nihil
valet vsus loquendi et contextus et locorum verborumque si-
milium comparatio, aut haec est notio illorum vocabulorum,
quam diximus. Sed haec breuiter conferenda sunt ad vsus
dogmaticos; nam plura non capitunt huius libelli angustiae.

Igitur notio iustificationis in scripturis patet latissime, com-
plectiturque vniuersum ambitum felicitatis humanae, et modum be-
nignum eius conferenda; germanice diceremus: beglückung, be-
gnadigung



gnadigung. Vidimus enim, vocabula ista dici in vniuersum de benignitate et salute, et benignissima adductione ad salutem, a Christo acquisitam, atque exprimere non tantum partem aliquam, sed vniuersitatem beneficiorum Messiae. Nimirum Deus iustificat aliquem, hoc est: *probat, beat;* idque fit, partim liberando ab omni genere malorum, in primisque poenis peccatorum cum vniuersis, tum propriis, partim vero etiam impertienda felicitate ipsa, quae est in animi quiete et laetitia, oriturque in hac vita e sensu gratiae diuinae, recte factorum conscientia et spe vitae aeternae, in altera vita autem in possessione bonorum coelestium; haec igitur felicitas pro ratione temporis diuersa est; ergo etiam iustificatio, hoc est, felicitatis collatio, est diuersa; nempe Deus iustificat in hac vita, probando aliquem, amando, benignissime regendo, adducendo per religionem ad sanctitatem et spem lactam, (nam et de hac re dici vidimus vocabula ista,) et beneficiis spiritualibus quibusuis affiendo; iustificat in morte, conseruando animam ab interitu omnique pernicie et ad vitam eamque beatam ducendo; iustificat denique etiam post mortem atque adeo in vita aeterna ipsa, beatitudinis omne genus largiendo. Verum hae notiones in specie non ipsi verbo iustificandi insunt, quod non nisi notionem beandi exprimere vidimus, sed aliunde colligi debent, nimirum ex orationis contextu et locis similibus.

Vnde in promtu est hoc, vocabulum iustificationis in libris dogmaticis, in quibus de *remissione peccatorum* explicatur, multo angustius usurpari, quam in Scripturis dictum reperitur; nam quamvis et illam indicat, quod non negamus, tamen patet latius, nec notio remissionis peccatorum continetur ipso vocabulo, sed intelligitur ex adjunctis; illud enim, vti diximus, exprimit actum seu modum beandi; hic autem modus est quoque in condonandis poenis propter Christum. Quare

DOEDER.

DOEDERLEINIVS, V. V. *Instit. Theol. Chr.* totum caput doctrinae de modo salutis conferendae et tenendae per et propter Christum, rectissime inscripsit: *de iustificatione*; quod ante eum factum esse scimus a nemine.

Deinde et illud patet, iustificationem non esse *actum unum et peculiarem*, qui fit certo aliquo momento temporis; fit enim per totam vitam hominis credentis, etiam et vel maxime in altera vita; nam Deus nunquam desinit, beare credentes et in dies beatiores reddere; atque vniuersam hanc vim benignam in tribuenda hominibus salute vocabulum iustificationis exprimit. Nec si accurate loqui velis, dicendus est *actus iudicialis*, et non nulli in vniuersum dici nolunt *actum*, sed potius iudicium internum, quanquam hoc ferri posset; est enim vere *actus*, sed continuus; non autem *iustitiae*, sed *benignitatis*; nam omnia referuntur ad benignitatem diuinam. Saltem admodum incommodae sunt, ne quid grauius dicamus, comparationes in hac re visitatae, iudicis, accusatorum, sponsoris, reliqua; quorum nullum fundamentum est in Scripturis, recte intellectis.

Denique vocabulum vtrumque, et latinum et germanicum, valde incommodum est; est enim primum abhorrens ab vtriusque linguae dicendi consuetudine, ac propterea obscurum, et peruersis interpretationibus, vt factum esse constat inde a longo tempore, obnoxium. Nam hoc tali sensu nuspianum dicitur apud ullum scriptorem latinum; originem autem traxit, vt multa alia eiusmodi vocabula, ex etymologica translatione vocabulorum graecorum, ac deinde venit in sermonem vulgarem Theologorum, etiam sermonem patrium. Sed in vulgari dicendi consuetudine linguae nostrae vel plane inusitatum est, vel denotat: *excusare innocentem, absoluere propter innocentiam et recte facta*; qui significatus ab hoc capite doctrinae est alienissimus.

C

Nos



Nos enim supplices veneramur atque adoramus Dei O.
M. ac Seruatoris nostri Iesu Christi gratiam atque beniuolentiam
admirabilem, credentes atque statuentes, in salute omni
hominibus et decernenda, et paranda, et tribuenda, omnia
redire ad gratuitum beneficium diuinum, hominis vero ratio-
nem nullam haberi, quae cum dignitate et merito eius con-
iuncta sit, nec villam mercedis necessitatem valere, aut salutis
cum sanctitate naturalem ac necessariam copulationem, qualis
solet esse effectorum cum causis, intercedere, sed solam be-
nignitatem diuinam et sanctissimum meritum Christi, quo sa-
lutis omne genus vnicet nobis impetratum est, solamque in
Christum fidem cerni; ita tamen, ut in hoc modo salutis te-
nendae nihil sit, quod vel necessitatem sanctitatis colendae, vel
voluntatem, vel denique facultatem demat aut minuat, ut poti-
tus omnia ad studium eius incendendum et ad facultatem eius
consequendae ingenerandam augendamque valeant. Atque hoc
tali animo, pleno diuinae benignitatis admiratione, ut cele-
bretis nobiscum publicam et piam hodierni diei ceremoniam,
VOS, CIVES HUMANISSIMI atque CARISSIMI, vehementer
hortamur. P. P. in Academia Witteberg. Die Festo Mi-
ichaelis. A. C. **CIOCCCLXXXIV.**

WITTEBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

Wittenberg, Diss., Orig. Bd. 6, 1783/91

ULB Halle
003 922 553

3



5b.

WD 1 P





L 6, -72

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

AD
SOLEMNIA
DIE FESTO MICHAELIS
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
A. C. CLXXXI
CONCELEBRANDA
NOMINE PUBLICO
INVITAT
ORDINIS THEOLOGORVM SENIOR
ET
DECANVS
D. CAROLVS CHRISTIANVS
TITTMANN.

DE NOTIONE IUSTIFICATIONIS.

